

Palinurus (Verg. Aen. VI, 337-383)

Ecce gubernātor sēsē Palinūrus agēbat,
quī Libycō nūper cursū, dum sīdera servat,
exciderat puppī mediīs effūsus in undīs.
Hunc ubi vix multā maestum cōgnōvit in umbrā, 340
sīc prior adloquitur: ‘Quis tē, Palinūre, deōrum
ēripuit nōbīs mediōque sub aequore mersit?
Dīc age. Namque mihī, fallāx haud ante repertus,
hōc ūnō respōnso animum dēlūsit Apollō,
quī fore tē ponto incolumem fīnīsq̄ue canēbat 345
ventūrum Ausoniōs. Ēn haec prōmissa fidēs est?’
Ille autem: ‘Neque tē Phoebī cortīna fefellit,
dux Anchīsiadē, nec mē deus aequore mersit.
Namque gubernāclum multā vī forte revulsum,
cū̄ datus haerēbam cūstōs cursūsq̄ue regēbam, 350
praecipitāns traxī mēcum. Maria aspera iūrō
nōn ūllum prō mē tantum cēpisse timōrem,
quam tua nē spoliāta armīs, excussa magistrō,
dēficeret tantīs nāvis surgentibus undīs.
Trīs Nōtus hibernās immēnsa per aequora noctēs 355
vexit mē violentus aquā; vix lūmine quārtō
prōspexi Ītaliā summā sublīmis ab undā.
Paulātim adnābam terrae; iam tūta tenēbam,
nī gēns crūdēlis madidā cum veste gravātum
prēnsantemque uncīs manibus capita aspera montis 360
ferro invāsisset praedamque īgnāra putāset.
Nunc mē flūctus habet versantque in lītore ventī.
Quod tē per caelī iūcundum lūmen et aurās,
per genitōrem ōrō, per spēs surgentis Iūlī,
ēripe me hīs, invicte, malīs: aut tū mihi terram 365
īnice, namque potes, portūsque requīre Velīnōs;
aut tū, sī qua via est, sī quam tibi dīva creātrīx
ostendit (neque enim, crēdō, sine nūmine dīvum
flūmina tanta parās Stygiamque innāre palūdem),
dā dextram misero et tēcum mē tolle per undās, 370
sēdibus ut saltem placidīs in morte quiēscam.’
Tālia fātus erat coepit cum tālia vātēs:
‘Unde haec, ō Palinūre, tibi tam dīra cupīdō?
Tū Stygiās inhumātus aquās amnemque sevērū
Eumenidum aspiciēs, rīpamve iniussus adībīs? 375
Dēsine fāta deum flectī spērāre precandō,
sed cape dicta memor, dūrī sōlācia cāsūs.
Nam tua fīnitimī, longē lātēque per urbēs
prōdigīs āctī caelestibus, ossa piābunt
et statuent tumulum et tumulō sollemnia mittent, 380
aeternumque locus Palinūrī nōmen habēbit.’
Hīs dictīs cūrae ēmōtae pulsusque parumper
corde dolor trīstī; gaudet cōgnōmine terrā.